



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

254. Qvinam jure naturæ eligere vetentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

eorum privatio, & recuperant jus eligendi, tamen si electio, ad quam admissi, vel à qua exclusi, effectum consecuta non sit ex alio, quàm quia electus fuit indignus, capite; quia in poenam delicti sui respectu solum electionis proxima post illam, in qua deliquerunt, privati fuerunt jure eligendi. Gl. *cit. communiter recepta. 16.*

Quaestio 253. Quid, si ergo aliqui eligentium indignum id fecerunt ignoranter, an electio facta à ceteris eligentibus dignum, dum hi constituunt minorem partem suffragantium, valebit, & promulgari poterit electio?

R Espondeo: valebit, si eligentes dignum numero superent eligentes ignominiositer indignum; secus si non superent; quia jam non erit facta à majori parte Capitularium praesentium, & non privatorum; cum eligentes ignominiositer indignum poenam privationis non incurrerint, sumitur ex *cap. scriptum. & cap. innovit. h. r. & ibidem Abb. num. 5.* Idem dicendum, dum aliqui majoris partis postulantis indignum id fecerunt ignoranter. *Abb. l. cit. Pirh. num. 63.*

PARAGRAPHVS III.

De iis, qui etsi spectent ad Collegium, eligere tamen prohibentur jure naturæ, jure positivo, consuetudine.

Quaestio 254. Quinam jure naturæ prohibeantur eligere?

R Espondeo: omnes ii, qui non sunt constituti in perfecto usu rationis. Hinc primò eligere non possunt amentes. Gl. *in c. ex eo, h. r. in 6. Navarr. cap. si quando, de rescript. Pass. c. 10. num. 12.* cum communi. Electio enim est actus liber eligentis, ejusque liberum consensum exigit. *c. quia propter. h. r. Abb. in c. quisquis. h. r. num. 5.* Eligere tamen possunt pro tempore, quo habent lucida intervalla, quia tunc non sunt constituti extra perfectum usum rationis. *Pirh. ad h. r. nu. 26.* Praesumendum verò erit, electionem factam tempore lucidi intervalli, & sanæ mentis, si actus electionis quietè habitus stultitiam non sapit; sed congruit homini sanæ mentis. *Menoch. presumpt. 45. num. 66. Pass. loc. cit. citans Covar. Fulgos. Jason. Bald. in l. furiosum. c. qui ratam facere pos. Secundo perfectè ebrii propter eandem rationem. Tertio iracundi, intellige, pro statu iracundiæ tollentis usum rationis. *Pax Jordan. lib. 2. tit. 6. num. 2. Pass. de elect. c. 10. nu. 14.* ac denique dæmoniacy, intellige, si privantur usu rationis, secus si usu rationis libero polleant. *Pass. loc. cit. num. 15. citans Sigisra. de Bonon. de elect. dub. 86. num. 11.**

Quaestio 255. Quid hoc in puncto dicendum de impubere, hoc est, minore 14. annis, si sit masculus, vel 12. si sit femina?

R Espondeo: eos regulariter loquendo jure naturæ eligere non posse. *c. ex eo, h. r. in 6. Franc.*

Barb. & c. cum communi. Etsi enim talis attigisse potuerit annos discretionis, & habere deliberationem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; non tamen censetur habere eam experientiam, & prudentem deliberationem, quæ est necessaria ad electionem Prælatorum Ecclesiæ. *AA. iidem. Pass. loc. cit. num. 10. citans Barb. juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 48. Biach. de elect. p. 1. cap. 16. Sylv. v. elect. 1. num. 5. & c.* Unde licet jure antiquo pupillus modo infanciam (qualis in jure vocatur ætas minor 7. annis, uti & ætas ab exacto septennio ad annum decimum quartum dicitur pueritia. *l. si infantes. c. de jure liberandi*) excessisset, conseq̄ui poterat beneficium, imò Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ. *Argum. c. ex eo, non tamen pupillus, etsi septennio major, admittebatur ad ferendum suffragium in Capitulo. Gl. in c. si eo tempore. de rescript. in 6.* Porò jure quoque ecclesiastico novo eatenus impuberes quasi consecutivè excluduntur ab eligendo, quatenus juncta *reg. 17. cancell. admitti quis nequit ad Canonicatum Cathedralium ante annum decimum quartum, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiæ ante annum decimum, & Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. statutum, ut nullus beneficium obtinere possit ante annum 14.* Item quatenus, ut dicitur paulò post, in electore necessarius est Ordo sacer, ad quem necessaria est ætas longè superans statum impubertatis. *Pass. loc. cit. num. 10. in fine.*

Quaestio 256. Quid hac in parte sit circa cæcos & surdos?

R Espondeo: non prohibentur eligere; cum liberè de eligendo deliberare valeant. *Pass. loc. cit. c. 10. num. 16. citans Castel. loc. paulò post. citand. & Dian. p. 5. r. 6. resol. 13.* Sed neq̄ necessarium, quavis bonum, ut cæcus votum suum faciat scribi ad mentem suam ab aliquo ex iis, qui non habent interesse in futura electione, requirendo etiam ab eodem, ut præstet sibi juramentum de fideli annotatione personæ à se nominatæ. *Pass. loc. cit. contra Castel. de elect. c. 5. num. 59. & 68.* consulitur tamen cæcis à Dian. & Castell. *l. cit.* (quod Sigisra. à Bonon. extendit ad surdos) ut renuncient voci suæ, ad tutiore conscientia agendum.

Quaestio 257. An ad hoc, ut quis eligere possit validè, requiratur Ordo sacer?

1. **R** Espondeo: id requiri in Ecclesiis Cathedralibus, quin & Collegiatis. *Clement. ut ii, & c. de atate & qualitate. Trid. sess. 22. c. 24. de reform.* sic statuenti ad præcludendam viam post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deferendi statum clericalem, *Pass. loc. cit. c. 10. num. 50. Engels hic num. 6.*

2. Secus est in Ordinibus, non tantum feminarum & virorum constantibus ex Religiosis laicis, ut sunt Ordines militares, hospitalarii, *Abb. in c. 1. de procurat.* sed etiam in Ordinibus aliis, Monasteriis & Ecclesiis Regularium, quorum constitutionibus cavetur, posse quemlibet professum, etiam sacris non initiarum, habere vocem in Capitulo. Ad ea enim monasteria se non extendit constitutio illa Trident. *Tabiena v. electio. n. 5. Portel. v. electio. num. 2. Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 5. & alii nixi declarationi S. Congregationis data 22. Maji anno 1577.* sic declarantis teste Bellarm. *ad sess. illam 22. c. 4.* ac proinde in hoc servanda cujusque Ordinis leges & consuetudines. *Pass. c. 10. num. 54. Præsertim cum*